





9037.

1771, 11.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
**IN COMMVNIONE BONO-  
RVM INTER CONIVGES VNIVER-  
SALI BONA ALIBI SITA FIANT  
COMMVNIA**

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE  
**D. CHRISTIANO HENR. BREVNING**  
PROFESSOR. PUBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.  
SOCIO  
IN AVDITORIO PETRINO  
DIE VII. SEPTEMBR. ANNO CIOIOCCCLXXI.  
DEFENDET  
IOANN. CHRISTIANVS GOTTLIEB BRAVER.  
GORLIT. LVSAT.

---

LIPSIAE  
LITERIS RVM PFIIS.







AN  
IN COMMVNIONE BONORVM  
INTER CONIVGES VNIVERSALI  
BONA ALIBISITA FIAN T.  
COMMVNIA.

---



§. I.

Certissimum est, communionem omnium bonorum inter coniuges vniuersalem lege vel consuetudine aliqua vniuersali haud vnaquam extitisse in Germania, idque adffirmant omnes, qui de patro iure scripserunt, neque aliter sentire patiuntur, quae de antiquo iure patro supersunt monumenta. Neque verba TACITI de Mor. Germ. cap. XX, adffirmantis laborum periculorumque sociam fuisse coniugem apud antiquos Germaniae incolas probare nihil videntur ονοντειαν. HEINECCIUS in Elem. Iur. Germ. L. I. Tit. XII. §. CCLXIV. quidem ex iis verbis communionem bonorum statuit; sed erroris manifesti eundem arguit RICCIUS in Spicileg. Iur. Germ. L. I. Tit. XVI. p. 532. Laborum sociam et periculorum non incommode de iis explicari posse

A 2

arbi-



arbitror, quae maritos ad proelia comitabantur atque ad latus mariti pugnabant. Hae coniuges sociae laborum, sociae periculorum erant. Caeterum non negabo, si et leges Germanorum antiquas et eorum mores postea collectos et compilatos in speculis legimus indiuiduam illam in conjugio viuendi consuetudinem indiuidua quoque durante matrimonio inter eos bona fecisse, ita tamen, ut vera communio ipsorum bonorum, haud intelligenda videatur, sed acquaestus causa communia haberentur. Coniicio hanc opinionem ex WISIGOTHOR. *LL. L. IV. Tit. II. §. XVI.* Quanquam enim in his peregrina iam deprehendantur iura, cum tamen ea legis dispositio peregrino iuri incognita, absque dubio ex patriis moribus in scriptam legem migrauerat. Verba legis sunt: *Dum cuiuscumque dignitatis aut mediocritatis mariti persona et vxoris fuerit nobiliter et competenter adjuncta et PARITER VIVENTES aliquid AVGMMENTAVERINT, vel in quibuscumque rebus quidpiam profligasse visi fuerint, atque perueniat, ut nunc ex his maioris rei et facultatis dominus sit: de OMNIBVS AVGMMENTIS aut PROFLIGATIONIBVS pariter conquisitis tantam partem unusquisque obtineat, quantum eius facultatem fuisse, omnibus modis sibi debita vel habita possesso manifestat.*

### §. II.

Neque Francis alia communio quam acquaestus fuisse videtur cognita et visitata, quodex L. RIPVAR. *Tit. XXXVII. §. II.* coniicio. Aitlex: *Si maritus exori per seriem scripturarum nihil contulerit, si virum superuixerit L. solidos in dotem recipiat et tertiam partem de OMNI RE, QVAM SIMVL CONLABORAVERINT, sibi studeat vindicare.* Nec aliter se iura habent in CAPITVL. CAROL. M. et LVDOVIC. PII *Lib. IV. §. IV.* *Volumus, ut uxores defunctorum post obitum maritorum TERTIAM PARTEM CONLABORATIONIS, quam simul*

*simul in BENEFICIO CONLABORAVRNT, capiant. caet.*  
*Idem in L. SAXON. Tit. VIII. de Westphalais scribit lex:*  
*De eo, quod vir et mulier simul CONQVISIVERINT, mulier me-*  
*diam portionem accipiat.*

### §. III.


Interim tamen negari nequit, media aetate non plane incognitam fuisse communionem bonorum vniuersalem, quae *vel* particuliaribus interdum iuribus introducta, *vel* inter coniuges confirmata pacto. Comprobata videtur IVR. PROVINC. SVEVICO. cap. XLVI. Mann und Weib mögen nicht gehaben Gut gezwayet et cap. XXXVI. Stirbt einer Frauen ihr Mann: sie bleibt in des Mannes Gut ungetheilet mit ihren Kindern. Neque ignorat hanc bonorum communionem omnium IVS LVBECCENS. Lib. II. Tit. II. §. XII. v. Chr. Godfr. HOFFMANN. diss. *de commun. bon. coniugal. et M E V I V S ad Ius Lubec I. I. T. V. art. V. v. 16. sqq.* Ita in ORDINAT. FVLIDENSIS ABBATIAE d. 17. Dec. 1719. §. I. exprefse omnium omnino bonorum tam illatorum, quam acquisitorum plena perfectaque communio comprobatur. Dein satis nota illa paroemia: Wenn die Decke über Kopfe ist, so sind bende Eheleute gleich reich, IVR. STATVTAR. SLESVICENS, cap. X. et FLENSBVRG. cap. I. quae manifesto communionem vniuersalem confirmant. Comprobata amplius BREMENSI *Iure Statutario P. III. Tit. III. §. I. Ordel. LXXXVI. HAMBVRGENSI. Statutor. P. II. T. V. art. X. et Tit. XI. art. XIII. et aliis quae adducit RICCIUS cit. loc. p. 545. sqq.*

### §. IV.

Nihil vero obstat, quominus et in iis locis atque provinciis, quorum Statuta atque iura vniuersalem communionem inter coniuges haud confirmant, pacto nuptiali inter coniuges ipsos ea comprobari et confirmari possit.

A 3

Quodsi



Quodsi enim a moribus patriis alienum non est, pacto futuras bonorum successiones statuere adeo inter coniuges, quidni omnia sua in commune conferre possent bona pacto nuptiali. Neque me mouet iuris Romani autoritas, quo videlicet iure omnis inter coniuges donatio prohibita ob metum illum iustum, ne mutuo se inuicem amore spoliarent. Vix enim illa conuentio de societate bonorum vniuersali ad titulum donationum referri potest, neque ea applicari posset ratio iuris romani prohibitui, quippe loco illius condominii suorum bonorum, quod in alterum confert, alterius conjugis bonorum condominium recipit quasi in compensationem. Largior quidem in illo ineundo pacto, quo vniuersorum bonorum societas inter coniuges statuitur, respiciendum simul esse ad bonorum ipsorum qualitatem, an et sub pacientium libera dispositione posita. Quae si haud sint, frustra illa communio statueretur. Sin vero nihil obstat, quominus de suis bonis libere disponant, libere quoque communia inter se pacto efficient bona.

### §. V.

Iam si vel *maritus* vel *vxor* alibi, quam in foro sui domicilii bona habeant sita, inter conjuges vero omnium bonorum communio existat, an ea bona, quae alibi sita sunt, simul inter communia referenda sint, ita ut contraacto matrimonio et copula sacerdotali et capta possessione thori alter conjux verum quoque condominium in illis bonis sibi habeat. Haec nobis dubia videtur quaestio, maxime si de analogia iuris forensis iudicanda sit. Indefinitae adfirmat PVTTERVS in *Element. Iur. Germ.* §. 316. II. etiam alibi sita bona fieri coniugum communia. Nec haec sententia primum paradoxa videtur, quippe illud condominium effectus erit perfecti matrimonii, ut ergo necesse non



non videatur, respicere ad eum locum, vbi bona sita sint. Si enim inter eos vel iure, vel facto communio omnium bonorum existit, quae quoquo essent impedimento, quominus bona alibi sita non possint esse communia, modo eius generis sint, ut de iis coniux libere disponere possit, quod supra monuimus. Sed nec haec mihi vniuersaliter vera videntur. Distinguamus ergo, vtrum lege, vel statuto, an vero pacto coniugum haec communio statuta sit inter coniuges.

### §. VI.

Si communio bonorum vniuersalis inter coniuges probata sit pacto, cum illa pactio simul admittat naturam pacti successorii, non est dubium, quin omnia bona, etiam alibi sita, ex illa pactione communia fiant. Subintelligimus, ea bona, quae in alio loco sita sunt, ita esse compara-ta, ut de iis possessor libere disponere possit. Cum itaque cuiuis liberum sit, rei suae dominium et conuentionibus et vltimis voluntatibus in alterum transferre nulla ratione habita, vbicunque illa bona sita sint, quid obstat, quominus maritus conuentione nuptiali dominium trans-ferat in coniugem, licet bona alibi sita sint.

### §. VII.


At quid? si lege Prouinciali communio quaedam inter coniuges vniuersalis comprobetur, atque coniux bona diuersis locis sita habeat: an haec communia fiant? Si in eadem sint prouincia illa bona sita, frustra dubitaretur de condominio alterius coniugis in bonis acquisito, simulac matrimonium consumatum sit. Sed si alibi scil. extra illam prouinciam alter coniux bona habeat sita, an et ea communia fiant, mihi valde dubium videtur. Non veter argumento PÜTTERI cit. loc. quasi consenserint coniuges contrahendo matrimonium, ut communia fiant bona,



bona. Quoties enim lex obligat, non opus est, ut ad eorum consensum respiciamus, qui obligantur, an velint obligari. Et si consensum simus fieri, non ulterius extendi poterit, quam quo usque legis valet obligatio. Iam extra territorium legis nulla est autoritas, et cum praeterea de rebus praeципue iudicandum sit secundum iura fori rei sitae; concedam si in eo loco, ubi bona illa sita sunt, aequa ac in foro domicilii coniugum communio vniuersalis statuta sit, fore illa bona communia. Si vero in eo loco vel prouincia communio bonorum vniuersalis haud comprobetur, resque ex iure fori rei sitae iudicandae sint, communia non sient bona, licet inter coniuges communio vniuersalis bonorum comprobetur in foro domicilii lege provinciali. Quapropter haec coniugis propria manebunt bona, nisi specialis superueniat conuentio, quae ea quoque communia efficiat.

### §. VIII.

Neque aliter res erit comparata, si solo statuto communio inter coniuges comprobata sit. Obligatum statutum coniugis in eo loco, in quo habitant ratione eorum bonorum, quae in eo loco sita sunt. Sed unde et ea communia dicamus, quae alibi sita sunt, quae ex hoc statuto iudicari nequeunt, nisi specialissima superueniat de iis conuentio. Ita sane, si diuerso iure vtatur forum rei sitae, diuerso, forum domicilii. Quod si vero statutum loci rei sitae communia faciat coniugibus bona, tunc dubitandum minime videbitur, et ea bona inter coniuges communia fore.



**ULB Halle**  
008 558 760

3



W78



9037.

1771.11.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
IN COMMVNIONE BONO-  
RVM INTER CONIVGES VNIVER-  
SALI BONA ALIBI SITA FIANT  
COMMVNIA

O V A M



LIPSIAE  
LITERIS RVM PFIIS.